



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 1. An paenitenti ritè converso poßit quandoque differi absolutio?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

228      C O N V E R S I O  
tionem subsistere, prudenter possit confessarius judicare: à quo dum deficit, dum ejus dispositio dumtaxat ostenditur, aut ut summum probabilis, eâ nempe probabilitate quæ utrique contradictorio potest esse communis, si justam necessitatem excipias, prætereundum non potest statim absolvi, ac per hoc nec apparens fit ei injuria, si non nihil illi differtur absolutio, ut interea perfectius converti annitatur, ac dignis pœnitentiæ fructibus plenius se probet ritè dispositum.

§. I.

*An pœnitenti ritè converso possit quandoque differri absolutio?*

*Loco citat.  
num. 167.  
168. 169.*

**S**ed quid dum hujusmodi veræ conversionis indicia profert pœnitens, ut eum jam Sacramenti effectûs capax judicet confessarius? an tum aliquando non injuriosè absolutio posset ipsi differri? Movet hanc quæstionem jam supra memoratus Joannes de Lugo, atque affirmativam partem dicit communiter à  
„Theologis afferri: Et quidem, inquit,  
„in hoc etiam puncto aliqua certa sunt,  
„in quibus omnes conveniunt. Primò,  
„posse ex consensu pœnitentis differri  
„absolu-



absolutionem , volenti enim non fit  
 injuria , atque adeò optimè facturum  
 confessarium , si pœnitentem suaviter  
 alliciat ad consentiendum. Secundò,  
 certum est quando dilatio , ut dicebam,  
 necessaria est ad explorandum firmum  
 propositum pœnitentis , de quo non  
 satis constat , posse & debere differri  
 absolutionem. Tertiò , non posse licitè  
 differri absolutionem , quando pœni-  
 tens est sufficienter dispositus & ex di-  
 latione timetur damnum potius spiri-  
 tuale , quàm speretur utilitas pœniten-  
 tis , ut puta , quod tædio affectus non  
 redibit vel in desperationem actus habe-  
 nas vitiis laxabit , &c. Quartò , deni-  
 que certum , non debere absolutionem  
 differri absque aliqua justa & rationabi-  
 li causa , quæ prudenter dicet esse dif-  
 ferendam. Difficultas ergo esse potest,  
 an possit esse causa rationabilis aliquan-  
 do ad differendam absolutionem absque  
 consensu pœnitentis , licèt ipse aliundè  
 credatur probabiliter esse nunc disposi-  
 tus.

In quo procul dubio videtur vera  
 communis sententia affirmans , cujus  
 ratio desumitur ex fundamento contra-  
 rio , nam licèt pœnitens legitimè dispo-



„ litus, confessione factâ habeat jus ad  
 „ sententiam & absolutionem; non ta-  
 „ men habet jus ad hoc ut statim profe-  
 „ ratur sententia. Potest enim iudex ar-  
 „ bitrari, quomodo & quando debeat  
 „ utiliùs proferri sententia: atque adeò  
 „ potest ante absolutionem præmittere  
 „ exhortationem spiritualem, quâ pœ-  
 „ nitentem adversus tentationes instruat  
 „ & armet, nec potest pœnitens id impe-  
 „ dire, aut cogere Sacerdotem ad abso-  
 „ lutionem statim impertiendam: potest  
 „ item Sacerdos ante absolutionem do-  
 „ cere pœnitentem quem videt multis  
 „ ignorantis involutum, quæ de cætero  
 „ possunt ipsum in plura peccata induce-  
 „ re, & hoc ipsum spectat ad munus Do-  
 „ ctoris; quod confessarius exercet: un-  
 „ de consequenter si Sacerdos meritò ti-  
 „ meat pœnitentem post absolutionem  
 „ non rediturum ad doctrinam illam ne-  
 „ cessariam accipiendam, & aliundè  
 „ nunc non vacat illum sufficienter in-  
 „ struere, poterit movere ut redeat post  
 „ prandium doctrinam & absolutionem  
 „ accepturus, nam sicut nunc ex debito  
 „ sui officii tenebatur ad illum instruen-  
 „ dum, sic propter impedimentum ne-  
 „ cessarium cogitur interrompere per ali-  
 „ quot



quot horas actionem illam, donec ma-  
gis expeditus possit illam perficere:  
similiter ergo quando meritò timet pæ-  
nitentem nunc absolutum facilè relap-  
surum statim in eadem crimina, nisi ip-  
sâ difficultate & dilatione absolutionis  
territus, meliùs agnoscat gravitatem  
peccati & necessitatem emendationis:  
poterit differre absolutionem, ut pœni-  
tens utiliter admonitus, non maneat  
in tanto periculo reincidentia quantum  
aliàs certissimè subiret.

Confirmatur ex communi Doctrina *Num. 170*  
Theologorum, qui dicunt posse Con-  
fessarium aliquando obligare pœniten-  
tem ad implendam pœnitentiam ante  
absolutionem, quod licèt non possit fa-  
cere per modum vindictæ & punitio-  
nis, potest saltem facere per modum medi-  
cinæ, quando judicat id esse necessa-  
rium vel utile pœnitenti, ex eo quòd  
soleat facilè omittere postea pœniten-  
tias sibi impositas, vel ut Confessarius  
certus sit de pœnitentia impleta, vel ob  
alios fines, ut docent Suarez, Reginal-  
dus & alii, quos refert & sequitur Bona-  
cina de Sacr. Pæn. disp. 5. q. 5. se. 3. pu.  
2. num. 20. Imo apud Græcos sic soli-  
tum fieri, ut nemo ante expletam pæ-



„nitentiam absolveretur dicit Palatius in  
 „4. dist. 15. q. 1. ex Nicephoro l. 11.  
 „cap. 26. &c.

*Num. 171.* „Ratio autem à priori est, quia Con-  
 „fessarius non solum est iudex, ut dixi,  
 „sed etiam medicus; unde sicut in pœni-  
 „tentia imponenda ita exercet officium  
 „iudicis punientis, ut debeat simul exer-  
 „cere officium medici curantis; atque  
 „ideò procurare, quòd impositio pœni-  
 „tentiae sit in utilitatem & medicinam  
 „pœnitentis, quo reddatur magis cau-  
 „tus & fortis contra tentationes; sic in  
 „proferenda absolutione, licet princi-  
 „paliter exercent munus iudicis absol-  
 „ventis pœnitentem dispositum; debet  
 „tamen simul procurare, ut medicus in  
 „ipsa absolutione curationem pœniten-  
 „tis, eo videlicet modo absolvendo, qui  
 „magis cedat in utilitatem & remedium  
 „aegroti: ad utrumque enim habet jus  
 „confessarius, nec potest prohiberi à  
 „pœnitente, quòd in ipsa absolutione  
 „exerceat officium medici, sicut nec  
 „potest ab eo prohiberi, quòd in imposi-  
 „tione pœnitentiae non sit merus iudex,  
 „sed etiam exercent officium medici:  
 „cum ergo confessarius iudicat expedire  
 „dilationem absolutionis ad hoc ut pœ-  
 „nitens



nitens reddatur magis cautus, & con-  
firmetur in proposito non peccandi, nec  
ita facilè postea relabatur, potest certè  
& debet aliquando ut medicus hoc re-  
medium pœnitenti adhibere: nec po-  
test ægrotus rationabiliter conqueri ad-  
versus medicum, cui se in hoc Sacra-  
mento curandum tradidit: neque in  
hoc debemus recedere à sententia com-  
muni, cui adstipulatur experientia mul-  
torum pœnitentium debilium, qui hoc  
remedio adhibito brevi tempore solent  
curari, & pro pueris potissimum vide-  
tur magis necessarium, qui hoc modo  
meliùs concipiunt necessitatem perse-  
verantiæ in proposito non peccandi.

Haftenus Cardinalis Lugo, quæ om-  
nia ejus potiùs verbis protuli, ut appareat  
ejusmodi non nunc hodie esse novè ex-  
cogitatam praxim, sed communiter à  
Scholasticis Doctoribus, uti hic affirmat  
Lugo, jam olim assertam.

